



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

44. De custodia Evcharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

pio, & conjectura periculi, ne infans decedat sine Baptismo, vel etiam, ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam deferatur. Gobat. loc. cit. n. 498.

Modus consistit in ceremoniis, & solennitatibus Baptismi secundum consuetudinem cuiusvis Ecclesiae, quae tamen de substantia non sint, sine peccato tamen mortali non possunt omitti, debentque omittae suppleri, si baptizatus supervivat. Armilla V. Baptismus n. 30. Panormit. in c. 5. h. c. & alii communiter. §. VIII.

13) *Finis* Baptismi est, ut per abluitionem corporis sub certa verborum forma baptizatus regeneretur, & ab originali peccato mundetur. §. IX.

14) *Effectus* Baptismi quinque recensentur. Primus est gratia sancti ieiens simul cum donis Spiritus Sancti, & virtutibus infusis, ac supernaturalibus, quae illam comitantur. Reverendiss. Maurus Oberascher de Sacram. p. 1. tr. 2. c. 3. §. 3. Secundus est remissio omnis culpae & originalis, & actualis quoad adultos suscipientes. Concil. Florent. in Decreto Eugenii & Trid. sess. 5. can. 5. Tertius remissio totius poenae peccatis debita. Trident. sess. 6. c. 14. de Justificat. ubi addit, in Sacramento Poenitentiae temporalem poenam non totam semper, ut in baptismo fit, dimitti. Quartus est characteris indelebilis in anima impressio, ut definit idem Trident. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen. ubi una declarat, hoc Sacramentum propterea reiterari non posse. Quintus est subiectio sub potestate Ecclesiae, ad quam Baptismus quasi janua intro ducit.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

A *Effectus* Baptismi referri potest, quod Baptizatum reddat capax aliorum

sacramentorum, quorum propterea janua dicitur per text. in c. 3. h. c. Hinc presbyter sive bona, sive mala fide ordinatus ante baptismum ante omnia baptizandus, & postea denuo ordinandus erit per d. c. 3. & 3. h. c. Ut tamen Sacerdos ordinari possit, necessum non est, ut doceat, se baptizatum esse, sed hoc ipso, quod inter fideles conversatus, & a parentibus Christianis notorie natus sit, tam violenter praesumitur baptizatus esse, ut haec praesumptio pro certitudine habeatur, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. d. c. 3. h. c.



TITULUS XLIV.

De custodia Eucharistiae, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

Hoc titulo praecipitur omnibus Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus, ut sacram Eucharistiam, sacrum Chrisma, aliaque olea consecrata in Ecclesiis Parochialibus fideliter asservent, & in loco decenti custodiant pro futuris infirmorum, aut aliorum necessitatibus, ne impia manus ad ea extendatur, & ad artes nefandas auferat; quam custodiam si neglexerint, tribus mensibus ab officio suspendi jubentur, gravius puniendi, si per eorum incuriam aliquid nefandum contigerit: si enim absurdum est negligentiam committere in profanis, quanto magis in sacris

Text. in c. 1. c. 2. h. c. & ibi.

Interpp.

